NATALICIA

PRINCIPIS GENEROSISSIMI

GUILIELMI I

DIE XXII. MARTII ANNO MDCCCLXVI

PIE CELEBRANDA

INDICUNT

ACADEMIAE ALBERTINAE

PRORECTOR ET SENATUS.



Inest Lobeckii dissertationis de diis veterum adspectu corporum exanimium non prohibitis iterum editae pars altera.



REGIMONTI.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nomina
civium academicorum
qui
praemia quaestionibus litterariis superiore anno proposita meruerunt.

Facultas Theologorum
Facultas ICtorum
Facultas Medicorum

nullos praemiorum invenerunt competitores.

Facultas Philosophorum

Praemio conduplicato ornavit ALBERTUM WANGERIN propter dissertationem physicam.

Continuatio.

§. 6.

Confecimus itaque dimidiam itineris, quod ingressi sumus, partem; qua quidem in peregrinatione, si cui nimium temporis consumsisse videamur, facilis erit et parata nobis, si non defensio, at excusatio certe. Tales enim nacti sumus socios comitesque viae, a quibus non sine summo dolore avelli pateremur. Jam vero velis passis, quo tendimus, pervehamur. Est autem reliquum, ut exquiramus, utrum forte temporis progressu (quae est ejus vis *ἀλλοιωτική*) homines etiam de institutis majorum magis ac magis desciverint. Et multis quidem signis cognitum est, eorum in explanandis rerum futurarum ostentis aut diligentiam aut superstitionem in dies fuisse auctam. Quemadmodum enim saepenumero tenui et exigua spe ita incendebantur, ut digito coelum attingere se posse putarent, ita res levissimae eorum animos saepe ad summum timorem traduxerunt. Quare multarum rerum, quae calamitatis impetum portendere videbantur, metu exanimati sunt, quas cum infectas reddere non possent, ad lustrationum et expiationum varia genera confugerunt, quibus, quidquid fieri non debuisset, animo certe et cogitatione delerent. Inprimis autem cum mortis cogitatione animos incredibiliter frangi et perturbari sensissent, effectum est ut, oblata tam tristi specie, se rebus prospere gerendis minus aptos crederent. In his enim animi alacritatem et tranquillitatem dominari putarunt. Cujus rei observatio multos impulisse videtur, ut adspectum cadaverum humanorum infaustum et detestabile omen habere judicarent. Et ii quidem, qui omnem rituum funebrium rationem explicandam sibi proposuerunt, eo usque progressi sunt, ut istam superstitionem omnem antiquitatem imbuisse statuerent, ejusque rei testimonia petierunt a consuetudine veterum signa quaedam domui funestae,

quae dicitur, apponendi[a]). Hoc modo cautum fuisse existimant, ne quis imprudens funus adspiceret. Hoc enim adspecto homines contaminatos fuisse dicunt, et a rebus gerendis deterritos. Eam autem in rem capillorum cincinnos adhibitos fuisse perhibent, ut, qui praetergrederentur, hoc signo cognoscerent, se in vicinia mortis, ut hoc utar, agere. Et illud quidem verum est, foribus domus funestae cincinnos fuisse affixos, quare chorus apud Euripidem miratur, aedes Admeti, cujus uxor vita erat defuncta, hoc signo carere:

Χαίτα τ' οὔτις ἐπὶ προθύροις τομαῖος, ἃ δὴ νεκύων πένθεσι πίτνει [b])

sed longe aliam ejus consuetudinis causam, eamque graviorem fuisse, suspicari licet. Etenim natura non modo ardentissimam nobis instillavit cupiditatem, hominum animos nobis conciliandi, verum etiam, ne aut prospero fortunae statu elati fastidiosius humanam societatem contemneremus et infra nos esse putaremus, aut iniquo casu oppressi propter paucorum injurias ob omnium consuetudine refugeremus, eam dedit nobis mentem, ut ex quotidianis hominum sermonibus jucundissimum et fortunae adversae solatium, et secundae oblectamentum capere velimus: Quidquid igitur ceciderit, nihil antiquius habemus quam eos inprimis, quibuscum aut naturae aut amoris vinculis conjuncti sumus, in societatem vel doloris vel laetitiae vocare; idque etiam veteres induxisse videtur, ut, cum quis diem supremam obiisset, certiores facerent, quorum hoc propter vicinitatem aut priorem consuetudinem magni interesse putarent. Ea igitur, opinor, causa fuit, quare capilli aedium funestarum foribus affigerentur. Colligi hoc licet ex eo, quod in consimili causa fieri solebat. Qui enim prole recens aucti fuerant, frondibus atque coronis aedium fores exornare solebant, non ut alios aditu prohiberent — ineptum enim hoc foret, — sed potius ad laetitiae consortium invitarent, ob rem praeclare gestam[c]). Mirabatur chorus Pheraeorum, ante aedes Admeti ne pilum quidem suspensum esse, miratur etiam nescio quis apud Athenaeum[d]):

---

a) Kirchmann de funer. Romam. l. I. c. 14. Hadrian. Junii Commentar. de Coma c. V. p. 350. Joh. Lomeier. Epimen. c. XVI p. 222. Potter. Archaeol. l. IV c. III. p. 384 ed. Ramb.

b) Alcest. 101.

c) V. Paschal. de Coron. l. V. c. XV.

d) Dipnosoph. l. IX. s. v. 69 ex Ephippi Geryone.

Ἔπειτα πῶς:

οὐ στέφανος, οὐδ᾽ εἷς ἐστι πρόσθε τῶν θυρῶν,

cum nullam puerperii feliciter peracti signum adesse videret. Solebant enim lectum genialem inituri, die nuptiali nymphaeum (ut brevissime dicam) suspensis sertis et corollis tegere et convestire. Itaque cum Perseus nuptialia celebraret

Largis satiantur odoribus ignes Sertaque dependent lectis [e]).

Eundem etiam morem servarunt, diem natalem celebrantes. Haec vero plenius exposui, non quo nova et inaudita esse putarem, sed ut melius intelligerenter, antiquitatis illos speculatores praefestinate ista luctus maerorisque insignia, et quasi συμπαθείας invitamenta ad religionis curam retulisse. Nam cum lugentes capillos resecare solerent, quid, quaeso, clarius et illustrius maeroris domestici signum esse poterat, quam si eos foribus domus funestae affigerent, praecipue cum paene omnes gentes eodem instituto usas fuisse reperiamus. Nam dicuntur etiam plurimi Tartariae Asiaticae incolae, apud quos tamen ne minimum quidem opinionis istius signum exstat, funus schedula foris appensa indicare[f]). Commemoraverunt vero etiam illi (quod paullo gravius videtur) Romanorum consuetudinem cupressi arboris feralis et male ominosae, ad aedes funestas ponendae, Servii testimonio locupletissimo usi, qui haec exaravit: „Romae moris fuit propter cerimonias sacrorum, quibus populus Romanus adstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae renasci non solet excisa, in vestibulo poneretur, ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus introeat, et quasi attaminatus suscepta peragere non possit [g])." Quo documento nihil sane certius et luculentius esse potest. Si enim qui sacra facturi sunt, cadaveris adspectu ita contaminatur, ut rem divinam facere nequeant, existimandum sane est deos ipsos mortuorum contagionem horruisse. Quae si constans fuerit Romanorum opinio, foedus fuit is artificum error, deos caelestes ad cadaverum societatem invitantium. Quos si tanto crimine liberare potero — agitur autem de Romanis — hoc mihi faciliorem eorum, quae forte hallucinatus sum, veniam paraturum esse spero. Cum itaque quaeratur, an ex eo, quod sacrificantes

---

e) Ovid. Metam. l. IV. 759.

f) Casp. Calvar. Ritual Eccles. l. III. Sect. II. p. 827.

g) Ad. Aen. l. III. v. 630.

cadaverum adspectu prohibiti esse perhibeantur, concludi liceat, ab eodem etiam deos refugisse, ei rationi, quam antea secuti sumus, consentaneum est, ut, quid in similibus fieri debuerit, sedulo exquiramus. Etenim non solum Lucianus memoriae tradidit, eos, qui amicae operam dedissent, proximo die a sacris deae Syriae faciendis abstinuisse, sed etiam omnes fere Graeciae Italiaeque gentes eandem rebus divinis reverentiam praestitisse, proditum est. [h]) Jam vero quaero, utrum dii iisdem, quibus homines, legibus fuerint adstricti? Homines certe religioni sibi ducebant, viso tactove cadavere, ad deos adire; ex quo isti, quos laudavimus, callide exsculpserunt, deos etiam funeris adspectum fuisse detestatos. Sed cum perspectum sit exploratumque, eosdem Veneris usum nec abominatos fuisse, nec pro piaculo habuisse, etiamsi homines post concubitum templa eorum adire nollent, verendum sane est, ne illi plusculum digito a veritate deflexisse comperiantur. Manifestum enim est, nequaquam ex eo, quod hominibus facere nefas fuerit, de deorum disciplinae ratione judicari posse. Quis vero est, qui deos a rebus venereis abstinuisse putet? Evolve patres, Arnobium dico, Tertullianum, Lactantium, aliosque paganismi diis idolicis exancillantis refutatores et refragatores, ut ipsissimis eorum verbis utamur. Articulis ii computant singula unius cujusque deorum furta, adulteria, amores. Quod vero ad Veneris post concubitum lavationem attinet[i]), ea plane ab hac nostra causa aliena est. Spectat enim ad corporis castimoniam, nec purgatio vocanda est, sed lotio, si Theologorum distinctionem complecti velimus[k]). Praetera etiam Servius omnem ejus consuetudinis, quam commemoravimus, rationem neutiquam satis aperte explicuisse videtur. Quodnam enim fuit domus funestae signum, priusquam arbor ista Romam esset delata? Quodnam habuere homines plebeji? Mihi quidem antiquitus cupressus ad maerorem significandum adhibita videtur, maxime propter frondium nigritudinem[l]). Tum etiam haec omnia in dubio et incerto posita sunt, ut ne Servii quidem testimonio satis credam. Continebantur enim

---

h) Lomeier Epimen. c. XVI. p. 217. Spanheim ad Callim. H. in Lavacr. Pall. ad v. 34. Potter Archaeol. B. II. c. IV. et de Judaeorum more Spencer l. III. dissert. III. c. V. p. 182.

i) Laquemacher. Antiquitt. Graec. P. III. c. III. § 4.

k) Ern. Hahnii dissert. philol. de expiatioue per hissop. Witt. 1735.

l) Alias causas, sed minus idoneas, meo quidem judicio, sdtulit Hadrian. Jun. Animadvers. c. XX. l. 1.

haec jure pontificio, admodum abstruso et recondito per se, et magnam partem ad Etruscorum disciplinam conformato[m]). Illud profecto minime dubium esse potest argumentum, quod antiquarii ex cupressi usu sumserunt, non tanti esse, ut deos adspectum mortuorum reformidasse statuamus. Quamvis enim divi Augusti statuam Claudius Caesar ex eo loco, in quo servos contrucidari solitum est, removeri jussit[n]), id tamen propter immanem rei foeditatem, quam et nos perhorrescimus (quibus quidem de molliore luto deus praecordia finxit) factum esse quisque intelligit. Nec mirum etiam, Minervam, cum exanime Tydei corpus, sanguine usquequaque conspersum caputque istud foede dilaniatum oculis adspexisset, ut ingratam rei memoriam deleret, oculos abluisse, priusquam in coelum abiret.

Non prius astra subit, quam mystica lampas, et insons
Ilissos multa purgavit lumina lympha[o]).

§. 7.

Adtulerunt etiam illi, quorum crebro facta est mentio, consuetudinem truae prope januam aedium funestarum collocandae, ex qua qui funus vidissent, perpurgarent se, eamque in rem Hesychium[p]), Suidam[q]) Pollucem[r]) et Aristophanis scholiastam[s]) testes citarunt. Res vero ipsa declarat, istas lustrationes primum

---

m) Quantis tenebris haec circumfusa sint, ex dissensione hominum intelligentissimorum intelligitur. Nam cum Festus affirmet, tibias funebres eas esse, quae in funere canerentur, quasque Flamini diali audire nefas putaretur, ejus sententiae Gellium contra euntem videmus. Is enim haec: „Flamen dialis mortuum non attingit, funus exequi licet". (L. X. c. XV. Noct.) itaque et tibiarum cantum audire ei licuit. Ita enim Dio (li. LIX. § 29. p. 759. ed. Reimar.) narrat, Agripparm mortuum ab Augusto Caesare pro rostris fuisse laudatum, „velo tamen interposito", cujus pei causam se latere fatetur. *„Οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιερεῖ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾷν, οὔτε τῷ τιμητῇ"* cujus singula verba Senecae, Taciti et Suidae (v. interprett. ad l. I. Dionis) testimoniis convincuntur.

n) Dio. Cass. l. LX. § 13 p. 951.

o) Theb. Stat. l. VIII. ad fin. Quid Barthio fraudem fecerit, ut de Elyso quodam inferorum fluvio cogitaret, nescio. Est enim Ilissus Atticorum fluvius intelligendus, in quo Furiae etiam lavari solitae, v. Lutat. ad Theb. l. IV v. 53.

p) *Ταῦτα δὲ (ἀρδάνια) πρὸ τῆς αὐλείου θύρας ἐτίθεσαν ὕδατος πλήρη, ἵνα ὁπότε τις τελευτήσειεν, οἱ πρὸς ἐμφανισμὸν* (al. *ἐνταφιασμὸν*) *ἐξιόντες περιῤῥαίνωνται, v.* eundem s. v. *πηγαῖον.*

q) *Ἔθος ἦν μετὰ ἐκκομισθῆναι τὸ σῶμα καθαρμοῦ χάριν ἀπολούεσθαι τοὺς οἰκείους τοῦ τεθνεῶτος.* v. *καταλούει,* v. eundem s. v. *ἀρδάνιον.*

r) Onom. l. VIII. c. VII.

s) Ad. Nub. 836.

quidem ad eos spectasse, qui funeris aut *κομιδὴν* aut *ἐκκομιδὴν* curabant[t]). Hi enim re funebri peracta etiamnum lavari solent. Ad eos vero, quod attinet, qui cum rebus divinis operam daturi essent, infaustum funeris omen, aut certe ejus memoriam, aquae adspersione dilui putabant, de his jam satis dictum est. Nihil etiam ad nos pertinent. Cum enim multi crederent, apium aliasque herbas in silicernio adhibitas funestum habere omen (v. Plut. in Timol. c. XI.) nemo tamen earum adspectu pollui credebatur. Qui vero, cum nec funeri exsequias ivissent, nec sacris etiam operaturi essent, tamen mortuorum adspectum sibi religiosum ducebant, superstitiosi et erant et habebantur. Talem enim Theophrastus *δεισιδαίμονα* describit[v]), qui nec ad puerperium nec ad mortuum appropinquare audeat. Idemque etiam confirmatur Lycurgi et Numae institutis, de quibus supra mentionem fecimus. Alii denique aut corporis quadam imbecillitate cadaverum adspectum perhorrescebant, aut, cum ferre possent, delicias tamen facere solebant. Horum tamen omnium ratio nec idonea fuit, nec comprobata etiam est. Attamen, cum audivissent recentiores illi antiquitatis scrutatores, abhorruisse nonnullos a funerum adspectu, effectum est, ut communem eam veterum opinionem fuisse crederent[w]). Ita vero omnis earum, si qua fuit, auctoritas prorsus imminuitur. Quae cum ita sint, neminem lepida illa historiola, quam Suidas ex Aeliano transcripsit, a causa nostra abalineabit. Narrat iste, Philemonem poetam comicum dormientem sibi novem puellas domo exeuntes videre visum esse. Ex quibus cum contatus esset, quid rei ageretur, respondisse illas, non amplius licere sibi cum ipso confabulari. Exorta luce cum ille pallium sumsisset, et opus, quod agebat, adgressus, subito extinctus est. Jam vero scriptor ille, causam hujus rei inquirens, suspicatur Musas, — Musae enim fuerunt illae — excessisse e domo poetae, quia *οὐ θεμιτὸν αὐταῖς*

---

t) Eodem etiam domus funestae lustratio et everrigulum spectabat, ut nimirum ejus et sanitati et lautitiae prospiceretur.

u) Eurip. Iphig. Taur. 380.

v) Charact. c. XVI. § 2 ibiq. Casaub.

w) Hac in opinione confirmasse potissimum eos videtur consimilis Judaeorum aliarumque gentium orientalium (v. Kleukers Zendav. p. 95) ratio. Praeterea etiam scriptoribus ecclesiasticis saepenumero accidere solitum est, ut cum impiam gentium religionem convellere studerent, aniles paucorum errores omnibus tribuerent v. Chrysost. hom. XIII. in ep. ad Eph.

νεκροὺς ὁρᾷν, οὐδ' ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς[x]). Enarrabo autem aliam historiam non minus lepidam. Dux quidam fuit Lucemburgensis, rei militaris gloria valde insignis, qui cum aliquando noctu obdormivisset, ingenti tumulto somno excitatus est. Tum animum attendens sonitumque captans, talem sibi audire visus est, qualis esse solet, cum pessuli effringuntur, et fores cardinesque concrepant. Tum ille, fures adesse ratus, omnia diligenter perquirere, et fores observare, sed nihil invenire. Proximo die, cum hostes esset adgressus, ingenti clade accepta misere periit. Quisnam igitur ille fuit, qui ostia aperuit, quasi festinanter domo esset abeundum? ἀγαθῇ τύχῃ hominis, si audiamus eum, qui bellam istam fabellam literis mandavit[y]. Ita etiam Musae ex domo poetae brevi morituri abierunt. Quid enim amplius ipsis istic negotii erat? Ne verbum igitur addam.

§. 8.

Reliquum est, ut exquiramus, quid causae fuerit, cur Euripides a communi omnium opinione declinaret, deosque induceret a cadaverum vicinia refugientes. Ad Dianam quidem ab Hippolyto moriente discedentem, quod attinet, hoc ut poematis oeconomiam melius tueretur, acute a poeta institutum existimo. Nam cum Hippolytus perpetuo Dianae praesidio defensus fuisset, mirum sane videri poterat, morientem demum propugnationem omnem deesse, quod ne accideret, egregie sibi poeta hoc pacto prospexit. Si vero forte aliquis quaerat, cur non poeta potius deam remoratus fuerit, donec ille mortuus esset, hoc ne dignitati Dianae parum decere videretur, verendum erat. Tunc enim alterum illud genus περιπετείας, quod in felici exitu positum est, requirebatur. Observatum enim est plerumque a poetis tragicis, ut deo in medium vocato, rei felicem exitum arcesserent, ne de auctoritate ejus et magnificentia derogarent. Quod cum minus commode fieri posset, deum priusquam ad exitum perventum esset, e scena abduxerunt, ne in summo rerum discrimine aut fidem deserere, aut inclinatam fortunam excitare minus videretur. Praeterea etiam vix satis decebat deam castissimam

---

x) Suid. s. v. Philemon.
y) Miri, Wunderbare Traumfälle. Erstes Hundert.

morientis Hippolyti, seque misere volutantis adspectum ferre[z]). Major autem est in altero loco difficultas[a]), immo maxima. Nam in priore quidem conjecturae saltem locus relictus erat, hic vero ostendit, Euripidem, nulla cogente necessitate, deorum adversus cadavera odium commemorasse. Quam in sententiam quid poetam adduxerit, equidem certo affirmare nolim. Consentanea tamen ea fuit philosophorum quorundam de mentis divinae integritate, concreti vero et terreni corporis squalore et foeditate commentis, quibus poeta noster imprimis, puto, delectabatur. Eam certe ob causam Persae dicuntur mortuos nunquam igni cremasse; noluerunt enim humani corporis, impuri scilicet et contaminati, contagione hunc, quem ex Ormuzd ortum putabant, infici. Quidquid sit, Euripidem tamen non constanter istam regulam secutum fuisse constat. In Supplicibus enim[b]), quinque illorum heroum, qui Thebas oppugnaverant, cadavera non solum in omnium conspectu ponuntur et prope templum Minervae collocantur, sed dea ipsa etiam exsequias prosequentibus intervenit. Id quod a Thetide etiam factum est[c]). Rhesum denique Strymonis et Musae filium ab Ulysse interfectum, mater dea amplectitur humerisque aufert[d]). Quae res aut summae Euripidem inconstantiae et levitatis arguit[e]), aut eorum opinionem, qui dramatis istius authentiam convellere studuerunt[f]), mirifice confirmat.

---

z) Illustratur hoc ex Suet. Jul. Caes. c. LXXXII. ibiq. Pitisc. Obiter hic observari licet, Lessingium verba: *οὐδ' ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς* ingeniosius interpretatum fuisse. Nam morientium halitu ut contaminarentur, homines certe tantum abfuerunt, ut potius, morientium supremum halitum ore exciperent. Insignis etiam narratio de deo Mosis animam osculando quasi intercipiente, quae in libro, Phetirath Mosche inscripto, aut altera potius ejus parte, graece conscripta exhibita est. V. Michael. Einleit. in d. N. T. p. 1217 tert. edit. Tum vero etiam *ἐκπνοαὶ θανάσιμοι* dictum puto pro mortis agone cf. Orest. 496. Hercul. fur. Euripe 980. Phoen. 1463.

a) Alcest 22.

b) 794.

c) Androm. 1232.

d) 885—948.

e) Ea autem aliunde nobis cognita est. Saepe etiam a communi priscorum poetarum discedere solitus est. Quam enim constantem et perpetuam legem esse ait —

θεοῖσι δ' ὧδ' ἔχει νόμος.
Οὐδεὶς ἀπαντᾷν βούλεται προθυμίᾳ
Τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί. (Hippol. 1328)

eum profecto centies migrarunt. Confinxisse itaque eam oeconomiae causa putatur.

f) V. Cel. Beckii Diatrib. de Rheso, supposititio Euripidis dramate.

§. 9.

Ut autem dubitationem omnem tollamus, deorum mortuos non amplectentium modo sed osculantium etiam exempla quaedam adjiciamus. Admirabilis est ad hanc rem quae de Venere Adonidem lugente multorum poetarum luminibus illustrata est, historia

Ἄδωνιν ἡ Κυθήρη
ὡς εἶδε νεκρὸν ἤδη [g])

aut

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐνόησεν Ἀδώνιδος ἄσχετον ἕλκος,
Ὡς ἴδε φοίνιον αἷμα μαραινομένῳ περὶ μηρῷ,
Πάχεας ἀμπετάσασα κινύρετο, Μεῖνον Ἄδωνι,
Δύςποτμε μεῖνον Ἄδωνι, πανύστατον ὥς σε κιχείω,
Ὥς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.
Ἔγρεο τυτθὸν Ἄδωνι, τὸ δ᾽ αὖ πύματόν με φίλασον [h]).

Tum poeta jubet Veneri:

Ραῖνε δέ μιν συρίοισιν ἀλείφασι, ῥαῖνε μύροισιν [i]).

Tum Cupidines:

Ἀμφὶ δέ νιν κλαίοντες ἀναστενάχουσιν Ἔρωτες,
Κειράμενοι χαίτας ἐπ᾽ Ἀδώνιδι. Χὢ μὲν ὀϊστώς,
Ὃς δ᾽ ἐπὶ τόξον ἔβαιν᾽, ὃς δ᾽ εὔπτερον ἆξε φαρέτραν·
Χὢ μὲν ἔλυσε πέδιλον Ἀδώνιδος, οἳ δὲ λέβητι
χρυσείοις φορέοισιν ὕδωρ, ὁ δὲ μήρια λούει·
Ὃς δ᾽ ὄπιθεν πτερύγεσσιν ἀναψύχει τὸν Ἄδωνιν [k]).

Et apud Ovidium:

Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.
Agnovit longe gemitum morientis, et albas

---

g) V. Theocr. Anacr. I.
h) Bion. Id. 1. 240.
i) V. 77.
k) 80.

Flexit aves illuc; utque aethero vidit ab alto
Exanimum, inque suo jactantem sanguine corpus
Desiluit. — — — — Cruorem
Nectare odorato spargit [l]).

Aut de Hyacintho:

Protinus imprudens, actusque cupidine ludi
Tollere Taenarides orbem properabat. at illum
Dura repercussum subjecit in aëra tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos; expalluit aeque
Ac puer ipse deus; collapsos excipit artus
Et modo te refovet, modo tristia munera siccat [m]).

Cum autem Tantalus ille deos ad coenam invitasset, nihil adeo fraudis iis suboluit, ut Ceres paene totum humerum Pelopis comederet. Multo igitur sagacior ille Jamblichus fuit, qui cum iter aliquando faceret hians nescioquid, repente gradum inhibuit. Discipuli ejus mirantes quid esset, percontabantur, quare pedem referret. Tum ille funus adesse respondit. Discipuli vero, re examinata, cognoverunt, brevi ante funus elatum esse. Ad illos autem quod attinet, Pindarus quidem negat, hoc unquam ita accidisse, sed multorum testimoniis ejus sententia, pia quidem sed minus vera convellitur. Ab hac enim origine horrendas illas Pelopidarum calamitates profluxisse constanter poeta tragici tradiderunt tum alii, tum inprimis Sophocles in Clytaemnestra, inedita adhuc tragoedia, cujus trecentos versus Matthaei, Musarum ille sospitator illustrissimus, quae est summa ejus liberalitas, mecum communicatus est. Prologum etiam agit Tisiphone, et inter varias illas causas etiam hanc commemorat:

'Αφ' οὗ γ' ἐκεῖνος δυστυχέστατος γέρων
Ἥψησ' ἑαυτοῦ παῖδα, θεοὺς λαβὼν ξένους,
Καὶ δῶκεν αὐτοῖς παιδίου φαγεῖν μέλη.

Sperare etiam vir incomparabilis me jussit, breve illud elegantissimi poetae fragmentum ex tenebris proditurum esse. Commemorandum quoque illud videtur,

l) Metam. l. X. 717.
m) Metam. l. X. 184.

quod Apollo ex Coronidis corpore in rogum jam imposito Aesculapium exsecuisse narratur[n]). Nec minus hoc Alcaei memorabile est.

Λόκριδος ἐν νέμεϊ σμικρῷ νέκυν Ἡσιόδοιο
Νύμφαι κρηνιάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων[o]).

Quid igitur censeamus? Verbo dicam

θεοὺς μιαίνειν οὔ τις ἀνθρώπων σθένει.

---

n) Ovid. Metam. l. II. 617 sqq.

o) Anthol. l. III. ep. 17 Steph. cf. Metam. l. II. 325 sqq. Addiderim his Mosis a Deo humati exemplum.